Indice

Di quanto si contiene
In questo I. Volume di Miscellanea

Fine

[illegible]

[illegible]

IN FVNERE

FRANCISCI I. AVSTRIACI

ORATIO

HABITA IN SACELLO VATICANO

AD

SS. D. N. GREGORIVM XVI.

PONT. MAX.

AB ALEXANDRO RVSPVLO

PRAES. DOMEST. EQ. COMMENDATAR. LEOPOLDINO

ET S. R. R. PRO IMPERIO AVSTRIACO

XII. VIRO

ROMAE

EX TYPIS SALVIVCCI

MDCCCXXXV

IMPR. Fr. D. Buttaoni S. P. A. Mag.
IMPR. A. Piatti Arch. Trap. Vicesg.

ORATIO

Haec, Beatissime Pater, haec est rerum omnium humanarum conditio, ut nihil in se habeant certi, nihil duraturi. Illum ipsum imperatorem amplissimum, qui ante hos sexdecim annos, augustae qua praefulgebat majestatis penitus oblitus, sacrae hujus aedis limina Deum Optimum Maximum ex animo deprecaturus ingrediebatur; qui hospes humanissimus Pium Septimum sanctissimum hospitem consuetudine et alloquio mirum in modum recreabat ac reficiebat; qui urbem hanc immortalem hac illac perlustrans suarum virtutum admirationem et civibus et exteris quibuslibet hominibus injiciebat, hunc ipsum e mortalibus abiisse nuper nuntiatum nobis est. Gentes quotquot sunt ab Histro ad Ticinum, a Pado ad Vistulam, quamvis et lingua et moribus invicem differant, una omnes moerore ac luctu conficiuntur, una omnes et lacrimis et gemitu, nedum nostras aures, Europam complent universam. Eae ipsae, in quibus nunc sumus, ceremoniae funestioresque ritus pergravem quam fecimus jacturam heic nobis ob oculos proponunt. Atqui aliquod tantae calamitatis levamentum in hoc nobis relictum videtur, quod scilicet in tanti regis laudibus virtutibusque celebrandis dolorem ipsum, si minus explere, lenire aliquantulum possumus. Atque utinam uberior aliqua mihi inesset dicendi facultas, in qua mediocriter admodum me esse versatum, libenter profiteor: jure

fortasse mihi prae multis nobilissimum hoc officium congrueret. Vindobonae enim ego ac pene ante ipsius oculos jam inde a prima pueritia fui ad liberaliores quaslibet disciplinas institutus: ab ipso dein inter honorarios regiae domus ephebos adscitus: hinc designatus ab ipso duodecemvir litibus judicandis in eo amplissimorum virorum collegio, quod et antiquitatis, et sapientiae, et integritatis laude nulli forte, quotquot in orbe judicia administrant, est secundus; ab ipso demum omni tum clementia tum liberalitate amplissime ubique cumulatus. Quamquam in adeo luctuosa funeris pompa, in tanta doloris aerumnaeque acerbitate fieri vix poterit, ut sine lacrimis illius ego nomen laudesque proferam, cui et amoris, et obsequii, et omnibus grati animi officiis tam vehementer obstringebar; praesertim quum ad hunc, qui illi est exstructus, quamvis inanem, tumulum cernere ipsum praesentem mihi videar. Tua voluntas, Beatissime Pater, qua nihil mihi sanctius, nihil esse potest antiquius, id efficiat, quod neque per ingenii tenuitatem, neque per dicendi exercitationem, neque per ipsam demum doloris gravitatem aliunde mihi forte liceret. Quandoquidem id Tibi non ingratum esse sentio, Franciscum Primum Imperatorem Austriacum ac Regem Apostolicum laudare pro viribus aggrediar: qua in laudatione id unum mihi ego demonstrandum propono, ad imperium scilicet recte sapienterque administrandum non alium ducem Franciscum habuisse, nisi tenax justitiae ac pacis servandae atque amplificandae propositum. Per illam intra imperii sui fines patriae fuisse patrem, per hanc totius Europae patrem jure ac merito salutari debere contendo. Gravior orationis moles me minus ab incepto deterret, Beatissime Pater, quum videam mirifice memet ab ipsa Tua sapientia sustentari ac perbenigne confirmari.

Suavissimus ille vitae modus, per quem homines quidam ad bonitatem ac beneficentiam propensiores sunt, et ita in ipsis quamdiu vivunt fortissime perseverant, ut ne latum

quidem unguem illinc deflectere unquam videantur, oritur ille quidem a natura ac ab facili quadam ingenii temperantia; sed et institutione praesertim crescit, et consuetudine mirifice confirmatur. In eum tamen virum, qui ceteris praesit, ejusmodi vitae modum convenire nemo prudens unquam affirmet. Summus rerum omnium moderator ac rector Deus liberalem quidem prius ac beneficentissimum semet praebuit: at simul et coelestes spiritus et homines ipsi legum suarum sanctitatem infringere non sunt veriti, continuo ipse et aequissimum sese totius impietatis ultorem esse luculentissime patefecit.

Historia quae res hominum praeclare gestas posteritati sedulo commendat, reges plerosque spectandos nobis exhibet, qui et aequitate simul et benignitate praestiterunt. Quippe justitia, utpote asperior, homines longius quam esset necesse a se procul arcet; contra benignitas, ubi absque reipublicae detrimento adhibeatur, facile sibi omnium animos conciliat. Quid vero in ipsis historiis frequentius occurrit, quam gravissima omnis generis flagitia, quae et privatam et communem tranquillitatem tantopere perturbant? Proinde summa regum industria ac sapientia in id potissimum tendat, ut scelerum causas radicitus divellant, culparum incitamenta quam longissime amoveant, ac ipsam delictorum atrocitatem, quantum fieri potest, antevertant. Lator ille legum, cui maxima quodammodo voluptas videtur, poenas sceleribus irrogare ac sontium sanguine urbium humanitatem jucunditatemque contristare, quo unquam pacto ipsorum scelerum numerum gravitatemque poterit imminuere? Quanto prudentius in id potius omnes ingenii auctoritatisque suae nervos contenderet, ut concreditas sibi gentes honestiores ac modestiores quotidie magis efficeret? Nec tamen satis regi esse potest, suarum gentium animos atque ingenia cognoscere; necesse praeterea est ut ipsas vehementer diligat. Tunc profecto et regum aequitati et populorum felicitati nihil erit quod adjiciatur, quum pari studio tum reipublicae tum privatorum commoda

conquirentur; quum cujusque civis faustitas atque incolumitas aeque ac propria regibus cordi esse videbitur.

Franciscus Austriacus quum, vix quintum aetatis lustrum ingressus, majorum suorum imperium capessere cogebatur, salutaria haec documenta non modo cognorat atque ex animo complexus erat, sed et ad ipsa perquam sedulo semet totum composuerat. Imperium ipse tres et quadraginta tenuit annos. Per tantum temporis spatium nihil ille moliri, nihil suscipere, nihil perficere visus est, quod non id quod praedico amplissime testetur. Possem ego singillatim illius facta percensere, si res ipsas, ac non regis animum commendare mallem. Attamen silentio praeterire nullo modo possum, quot studia, quantam sedulitatem, quot ipse sumptus impenderit ad juventutem per totum, qua late patet, imperium liberaliter erudiendam. Illustris illa disciplinarum omnium palaestra, quae a Maria Theresia (cui Franciscus erat nepos) et nomen et famam est mutuata, ab ipso non tantum vitam recepit, verum etiam ingens nacta est incrementum. Heic ipsemet quodammodo nobilissimos totius imperii adolescentes et aluit et educavit. Hinc praeclarissimi illi viri prodierunt, quibus et provincias regendas, et sanctiora negotia, nedum domi, sed et apud exteros reges expedienda, et exercitus fortissimos ad ardua quaeque facinora educendos commisit. In hoc ipso Theresiano ephebeo, ac fere in ejus oculis isti omnes pietatem cum civili prudentia, cum humanitate fortitudinem, liberalitatem cum aequitate conjungere didicerunt. Neque hos intra fines illius providentia unquam stetit. Quotquot enim prius ad juventutem instituendam gymnasia constituta erant munifice Franciscus amplificavit, ac plura etiam passim a fundamentis exstruxit largeque ditavit; praesertim ut infimae etiam multitudini aditum ad sapientiam omnemque laudem ita aperiret, ut sui imperii provinciae in hac etiam communis felicitatis parte ceteris totius Europae provinciis longe anteirent. Fixum enim persuasumque illi erat, non posse

quemquam jure filiorum pater amantissimus appellari, qui ab artibus scientiisque excolendis abhorrere quomodocumque videatur. Siquidem sapientia est donorum omnium praestantissimum, quod liberis parens largiri possit; quandoquidem ab una sapientia, quae germanam hominis beatitatem constituant dignoscere, ac sibi quisque comparare perdiscat.

Neminem tamen latet, exitiale quoddam sapientiae genus esse, quod quin prosit, hominibus quamplurimum nocere compertum est: praesertim quum ab ipsa infirmioris perditive ingenii homines non aliud prius faciliusque percipiant, quam Deum regesque contemnere, religionis reique publicae leges, tamquam servile jugum, a cervicibus dejicere. Ecquis vero absolutam rerum omnium inscitiam istiusmodi sapientiae non longe praeferat? Tolerabiliorem enim semper esse duximus eorum infelicitatem, qui omnia humanitatis officia penitus ignorant, quam qui in vanissimorum errorum ambagibus vitiorumque omnium turpitudine versantur. Verum ubi multitudini vix quidquam suppetit unde vitam aegerrime sustentet; ubi omnia communi quadam inveteratae barbariae egestatisque illuvie sordescunt; ubi ipsa civilis libertas talis est, ut vix cuiquam dicere liceat, se sui juris esse, cui bono iter sapientiae sternas? Aut unde scientiarum et artium incrementum heic tibi pollicearis?

Liberalissima Francisci imperatoris voluntas nullum sane impedimentum hinc sibi poterat extimescere. Pater ipse non rector erat suarum gentium. Quare ad optimorum studiorum faustitatem etiam atque etiam augendam, nihil ipse intentatum reliquit, tum ut omnes imperii provinciae rerum omnium copia abundarent, tum ut ea omni libertatis amplitudine uterentur, quam sine domesticae disciplinae detrimento solent filiis parentes dare. Tributa vero ac vectigalia omnia ipse aequa adeo lance dimensus est semper, ut imperii sumptus gravesque necessitates ad unguem exaequarent, at ne asse quidem exsuperarent. Persuasum enim illi erat, tributa

omnia quae in communem utilitatem non cedunt, esse veluti latrocinia. Nec aliunde erat modestia illa vix credibilis, cui sese quodammodo subjecerat: non aliunde admirabilis abstinentia, qua filiorum amantissimorum commoditates suis ipse commoditatibus anteferre nunquam dubitabat. Ad exercitus sustentandos, ad ingentia bellorum (ad quae nonnisi lacessitus trahebatur) impendia facienda, nonne maluit, nedum paternas atque avitas facultates, sed et gazam omnem et omnem auream argenteamque supellectilem, qua regia domus abundabat, impendi, quam provincias, aliunde afflictas, gravioribus vectigalibus exhauriri? Quum primùm imperator est creatus, extraordinaria tributa, quae ex veteri consuetudine tunc illi jure obveniebant, ad egentioris multitudinis calamitates sublevandas nonne jussit, ut ad ultimum usque obolum converterentur? Unde etiam fiebat, ut qui per imperii provincias rem publicam administrabant, tantae integritatis ac sanctitatis exempla in sese exprimere certatim contenderent.

At enim arbitrabatur, vectigalia quantumlibet moderata nonnisi aegre solvi ferrique posse, ubi agrorum cultus jacet, ubi mercatorum industria ac navigatio non fervet? Franciscus a suo imperio tantum dedecus tantamque pernicem longe procul avertit. In agricolarum, in artificum, in mercatorum ingeniis acuendis atque excitandis totus ipse erat. Quidquid in hunc finem a reipublicae legibus expectari poterat, id totum ab ipso per leges et cautum et provisum est. Perinde vero ac si civium industria et virtus non ipsae sibi sint praemium amplissimum; praemia ipse nobilissima ac locupletissima iis praesertim proponebat ac largiebatur, qui in hisce communium commoditatum fontibus derivandis amplificandisque novi quidquam utilisve reperirent aut perficerent. Ecquis autem mercatorum publicanorumque sodalitates ad agrorum cultum, ad navigationem, ad commercia expedienda atque tutanda constituit? Franciscus. Ecquis per durissimos atque olim inaccessos alpium amfractus incredibili ausu atque impendio mi-

litares vias aperuit, quae consularibus veterum romanorum viis vix quidquam invideant? Franciscus. Ecquis hominum manu et arte e telluris veluti sinu flumina perpetua, jussit exilire, per quae provinciae, utut dissitae, tum commodius inter sese celeriusque conjungerentur, tum suas merces ac commeatus ultro citroque invicem adveherent? Franciscus. Ecquis demum non multo ante et domesticos et alienigenas mercatores, qui exquisitissimos totius naturae fructus, vel pretiosiora artium humanarum opera in venetum aestuarium inferunt, ecquis, inquam, omni portorio liberavit? Franciscus.

Nec satis heic ego prudens viderer, si praeterirem aut illam artium scientiarumque omnium palaestram, quam polytechnen appellant, quamque, Trajani veteris magnificentiam aemulatus, a fundamentis exstruxit; aut hinc non valde procul lyceum aliud percelebre, in quo juventus instituitur ad eos morbos dignoscendos depellendosque, quibus non sine gravi rerum nostrarum familiarium detrimento et cicures bestiae et cetera animalia, quae tum domi tum ruris opem nobis praestant, saepe adeo absumuntur. Ex providentiori hoc studiorum ordine quot quantaque non modo in regiam urbem, sed et in rempublicam universam emolumenta profluant, arduum profecto non est dignoscere. Commercia enim hinc in dies crescunt, ac magis magisque expediuntur: agricolae et uberiores et suaviores e sua industria fructus percipiunt: artificum totius imperii sedulitas atque ingenium, nedum cum gallorum, anglorum, ceterorumque Europae artificum sedulitate atque ingenio certare, sed pluribus in rebus illorum excellentiam exsuperare videtur.

Possunt quidem ceterae gentes semet jactare ac omnium felicissimas praedicare: velint nolint, id nobis concedant necesse est, hisce annis quadraginta tranquillitatem felicitatemque publicam nullibi minus quam in Francisci imperio perturbatas, exagitatas, vexatas fuisse. Franciscus non semel bella periculosissima suscepit: non semel gentium exterarum copiis ad

internecionem usque vidit imperii sui provincias civitatesque vastari: attamen et imperii ipsius tranquillitas semper constitit, et communis felicitas post paullo restituta ex integro est. Quaenam vero pestis perniciosior, quam bellum intestinum, civilesque discordiae? Hinc videlicet et urbes dilacerantur, et provinciae exscinduntur, et imperia ipsa ad occasum atque interitum propelluntur. Ecquis hinc pro meritis Franciscum commendet, qui incolumem a turbulentissimis hujusmodi tempestatibus navem sibi creditam in portum reduxit? Rex ille apud Virgilium: " Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat „. Quid mirum, si ad teterrimam hanc communium calamitatum causam procul ab suis provinciis depellendam, ipse etiam publicae tranquillitatis perturbatores, ubi est necesse " Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat „? Cui haec patriae parentis sapientia minus arridet, illuc oculos paullisper convertat, ubi perditissimorum civium furor impune grassatur, resque omnes pro lubitu subvertit. Postquam caedibus, incendiis, rapinis sacra civiliaque omnia polluta ac prostrata sunt; nonne illic pleraque civium millia et imperio premuntur, et vinclis carceribusque frenantur, et carnifici etiam ac meritae neci traduntur? Crudelem vero quis Franciscum appellet, quia lethalis hujus incendii faces extinxit? Deo Optimo Maximo ego potius immortales ex animo et agam et habebo gratias, quod hanc illi mentem et dederit et servaverit. Nisi tanta cum integritate justitiam per imperium universum administrasset, nescio sane quo jure patriae patris et nomen et laus illi esset tribuenda. Iis gentibus, queis et aequi et honesti est cura; aeterni numinis liberalitas in hunc videlicet finem sapientissimos justissimosque praeficit reges, ut ex ejusmodi exemplo omnium virtutum excellentiam atque honestatem majoris in dies facere, ferventiusque et diligere et colere perdiscant.

Verum enimvero quantumlibet vir quicumque singulari ingenio et industria, sapientia ac integritate praecellat, hu-

manae tamen naturae fines transcendere minime potest, ac homo quum sit, quidquam supra hominis vires efficere omnino nequit. Heic tamen etiam Francisci prudentiam nemo desideret. Praeclarissimos ille viros, qui sibi opem quodammodo ferrent, sapienter ad se arcessebat; praeclarissimos, inquam, utpote sibi prorsus similes. Hi ad unum omnes eadem aequitate ac sapientia, qua rex ipse, tantam imperii molem cum ipso administrabant. Ad hos meam ego orationem minime convertam: quamvis nonnisi per summam injuriam peculiaria haec Francisci merita dissimularem. Homines ipse a se perquam idoneos eligebat; a se illos ad suam veluti disciplinam informabat; a se in eorum animis eamdem incendebat caritatem, qua ipsemet in suorum civium felicitatem vehementissime ferebatur. Nec quisquam arbitretur, hoc nullius negotii opus fuisse. Nullo unquam tempore, quemadmodum hac nostra aetate, facile fuit homines bilingues perjurosque reperire, qui tum obscuris artibus, tum verbis scriptisque dolum spirantibus eant ad lucrum, omniaque aut in suum, aut in regum, quibus turpiter assentantur, commodum traducere ac detorquere valeant. Summa Francisci integritas nefariis hisce omnis justitiae proditoribus neque aures neque animum unquam praebuit. Sagaces, pios, vigilantes, modestos, communis commodi amantissimos, en quos ipse ad rempublicam bene gerendam admovebat. Hic vero delectus ita illi prospere semper cessit, ut in tanta imperii amplitudine, in tanta provinciarum varietate ipsius virtutes praesentes ubique semper adesse visae sint.

Non satis tamen prodesse dicendae sunt et industriae illae omnes, quibus reges civium faustitatem augere contendunt, et sanctissimorum magistratuum delectus, et domesticarum publicarumque virtutum, justitiae praesertim atque abstinentiae exempla; nisi accedat et legum auctoritas, quae infirmiores egentioresque cives ab ditiorum potentiorumque vi et defendat et tueatur. Reges profecto nulla alia re magis

praestant, nulla alia virtute ad Deum propius accedunt, quam per optimarum legum ferendarum auctoritatem. Franciscus id probe norat, quum usus industria studiisque virorum totius imperii sapientissimorum in unum veluti codicem leges omnes colligi jussit; quum ut sancte ubique servarentur providentissime cavit; quum, quantum per regionum hominumque varietatem fieri commode poterat, ut eaedem ubique essent subtiliter ingenioseque providit; quum poenas constituit, quibus non modo cujuslibet ordinis transgressores plecterentur, verum etiam ii ipsi scelestissimi magistratus mendacesque legum interpretes, qui non cuiquam indiscriminatim aequos sese praestant, quique leges ipsas infringunt et proculcant, ut pro lubitu tum suis, tum potentiorum civium cupiditatibus faveant.

Vidimus hactenus patriae patrem, quanto studio suis gentibus omnem felicitatem paraverit; at nondum vidimus quo ex fonte illam sapientiae fortitudinisque excellentiam hauserit, per quas et officium suum nunquam posthabuit, et coepta sua omnia ad exitum perduxit saluberrimum. Divina religio ita hominibus est necessaria, ut sine ipsa humanus animus nec quiescere, nec boni quidquam efficere omnino valeat. Quilibet in ejus locum humanae, quam celebrant, philosophiae opem sufficere velit, is operam perdat necesse est. Apud philosophos speciosissimum sane invenies tum verborum, tum documentorum apparatum: at unde philosophi vires eruant, quibus te justum, abstinentem, fortem, humanum etiam efficiant? Heu vanas hominum mentes! heu futilem sapientiam! heu perdita consilia! Perinde ac parum sit esse miseros, nisi amentes etiam ac stupidi, ne dicam impii, simus! Sive prospere sive infeliciter res nostrae cedant, ad uno auctore Deo esse possunt praesidia atque adjumenta, quae nos sustentent. Quod si religio nemini non est necessaria; quanto magis regi in quo et prudentia et aequitas nulla unquam ratione sejungi a religione deberent?

In Francisci animo nil magis erat fixum, nil altius in-

sculptum. Eximiae pietatis, qua illi animus exardebat quodammodo, nemo nostrum testis non fuit. Simul bellorum perturbationes excesserunt, totique Europae pax exoptatissima est restituta, vidit Franciscus non in uno imperii sui loco recentiorem quamdam philosophiam, furentemque omnium rerum innovandarum libidinem in religionem praesertim, inque religionis administros impetum quodammodo fecisse; pleraque etiam a majoribus divinitus instituta omnino destruxisse. Continuo illuc ipse animum appulit, ut omnia paullatim in pristinam formam restituerentur. Sacras familias plerasque veluti ab interitu vindicavit. Sodales ipsos e Societate Jesu, quibus difficilior reditus patere videbatur, tum in Poloniae tum in Styriae provincias ipse revocavit, auctorque illis fuit, ut tirocinia utrinque ponerent, ex quibus et validiores Evangelii praecones, et sapientiores juventutis institutores quamprimum prodirent. Spectatissimos Beati Alphonsi alumnos aluit ipse ac fovit mirifice, iisque difficiliora christianae caritatis officia sapienter commisit. Quid plura? Ipsemet sacri cujusdam asceterii et fundator fuit et propagator. Huc ut ex omnibus totius imperii provinciis adolescentiores levitae convenirent; heic ob ejus veluti oculos ac per viros religiosissimos ad absolutam quodammodo ecclesiasticae disciplinae formam instituerentur; hinc quemadmodum olim ex Magni Gregorii aut Augustini palaestra, sacerdotes sanctissimi ad Christi gregem pascendum erudiendumque emitterentur. Praeclarissima atque ardua profecto erant religionis exempla quae majores ac praesertim Henrici ac Leopoldi sanctissimi, atque immortali nomine viri, praebuerant. Non illinc tamen Francisci animus exterritus aufugit, eaque, quantum pro viribus potuit, in se referre diligenter studuit. Templa enim et ipse Deo aeterno a fundamentis exstruxit, altaria, reditibus adtributis, illustriora fecit, minores aediculas ad ipsius religionis incrementum ubique posuit. Quandoquidem vero humanarum infirmitatum commiseratio nunquam

a germanae religionis sensu disjungitur; pleraque nosocomia iis ipse voluit committerentur virginibus, quas eadem religio veluti manu ad graviores hominum morbos curandos adducit. Per Francisci pietatem effugia ubique aperta conspicimus, in quibus asphyctici, quos nominamus, ab imminenti eripiantur nece: humiliores artifices, quos vel rerum omnium egestas, vel corporis infirmitas torquet, per Francisci pietatem vitam non misere tolerant: ii queis oculorum ademptum est lumen, quique stipem ostiatim olim emendicabant, per Francisci pietatem et tecto et victu nunc commode satis excipiuntur.

Quod si neque ipse illud assequi potuit, quod inter ceteros Europae reges nemo est assequutus; ut nempe ex imperii sui finibus profligatissimam illam impietatem divelleret, quae turpe est aetatis hujus nostrae dedecus, illam saltem comprimere ac summo studio dejicere nunquam destitit. Pietatem, quam et animo fovebat et aperte profitebatur, scelestissimorum ejusmodi hominum impietati objiciebat assidue, Davidemque regem illum ac vatem, cujus et religio et aequitas nefariis quibusque imperii sui hominibus terrori erat, nunquam non imitari enitebatur. Non dubito fore plerosque maligniores rerum aestimatores, qui vel subdolis versutisque eorum artibus, qui a consiliis illi erant, vel invictae suorum exercituum virtuti, vel singulari ducum prudentiae tribuant, quod ipse non modo integrum servaverit, sed et auxerit imperium: neminem tamen vestrum a mea sententia arbitror discessurum, quum aperte praedicavero, Francisci pietatem primam potissimamque fuisse causam, cur ab teterrimorum hostium immanitate incolumis emersit, deque ipsis tam praeclare triumphavit. Non ut aliorum jura perfringeret, sed ut sua non inglorius tueretur, veluti olim Moyses de montis vertice, sic ille nuper innoxias ad coelum manus extollebat, ac ab ipso omnis felicitatis auctore consilium ducibus, militibus fortitudinem impetrabat. Quae religiosissimi regis pietas quo validius illi a Deo praesidium conciliabat, eo benefi-

centiorem pater amantissimus filiis semet praestabat. Infestiores quotquot sunt Austriacae gentis hostes hanc Francisco laudem unanimes lubentesque tribuunt; quod nempe suorum civium animos suavi quodam veluti benevolentiae vinculo ipse sibi adjunxerit: praesertim quod in ipso non regem aliquem elatum superbumque, sed omnium pene amicorum candidissimum reperiebant; cui grave non erat familiarem semet liberalemque vel ipsis infimi ordinis hominibus exhibere. Toto ego animo ac fere ad lacrimas commoveor, quum mente talem illum mihi repraesento, qualem secus Histri ripas Vindobonae sum pluries admiratus. Vindobonenses, ut aliquod ab gravi syrii canis aestu frigus sibi captent, illuc noctu conveniunt. Quis heic gaudium cohibeat, quum nigrantes noctis tenebras per sexcentos igneos globos, qui hinc illinc veluti ad coelum assurgere ac cum ipso siderum fulgore certare quodammodo videntur, repente dissipari ac in hilarem diei lucem videat immutari? Interim Franciscus hac illac, ultro citroque commeare, coenantium civium coronis, canentiumve choris ultro sese immiscere, hunc nomine compellare, alterum manu prensare, alterum peramantissimo alloquio beare.

Perdifficile profecto esset orationis exitum invenire, si praeclariora persequi vellem humanitatis officia, queis Franciscus amorem suis gentibus testatus est. Me tamen juvat vobiscum, Vindobonenses, paullisper loqui, et gaudia fletibus vobiscum commiscere. Nemo sane verbis significare contendat acerbissimum eorum dierum luctum, in quibus lues illa immedicabilis, quae ab Asiae provinciis aliquot ante annos digressa adhuc per Europam serpit; atque utinam Italiae hujus nostrae fines nunquam attingat. Quam tunc tristissima rerum vestrarum facies! Nulla urbis pars suis caedibus vacabat; aetas omnis omnisque sexus hac illac ruebat. Funesta tabes omnem opem exsuperabat, atque una veluti face cum senibus pueros, gnatos cum ipsis parentibus cremabat. Ecquis vero tunc tantam morbi vehementiam compescuit? Ecquis cives afflictos mise-

rosque inter acerbiores ipsas morbi funerisque angustias aliquantulum recreavit? Nonne Francisci et pietas et amor illuc promptius libentiusque aderat, ubi major erat necessitas, ubi pericula graviora? Non sine causa viderat ipse, Deo Optimo Maximo permittente, tantam cladem oriri, ac nonnisi per Deum abituram. Ubi igitur hominum tentamenta medentiumque artes nihil poterant; ut ad suum exemplum ad frugem redirent ac ad preces ferventissimas cives omnes converterentur, hortatus est. Quare inter gemitus vehementissimosque singultus ipse primus: *Parce*, *Domine*, clamare coepit, *parce populo tuo*. Nec a lacrimis nec a prece abstinuit ante quam calamitas illa luctuosissima ex omnibus imperii sui finibus evasit atque excessit. Quae unquam oblivio tantam humanitatem obruet? Aut quae unquam aetas pietatem adeo singularem conticescet? Quae quum ita sint, ecquis unquam praeclare adeo de suis civibus est meritus, ut praestantiori jure ab ipsis potuerit Patriae Pater salutari?

Atque utinam ab sanctissima hac liberalissimaque tum vivendi tum regnandi consuetudine nihil unquam Franciscum detorsisset. Verum bellorum teterrimorum ac sibi invicem succedentium incertos eventus, ac non incertas omnis generis clades fuit ipse vel invitus adire coactus. Orbis hic noster turpem adeo malorum omnium colluviem nunquam viderat; gravem adeo omnium aerumnarum molem nunquam antea pertulerat. Ab extremis alterius Hesperiae finibus ad remotissimos usque gelidosque triones exercitus innumerabiles immanissimique terrorem incendia, rapinas, caedes per totam Europam intulerunt. Eorum vehementissimus impetus omnia labefactavit, ac omnia pene subruit atque prostravit. Quae tunc terra non moveri, aut qui tunc fluminum fluctus humano sanguine non visi sunt commisceri? Eccui bono tunc pericula hinc propulsares, quum isthac in te vehementius irruerent? Nullus austriaci imperii locus ab hostium incursionibus fuit expers; nec semel vetustissimi imperii majestas corruere ac penitus prolabi

visa est. Quod suum erat officium, simul Franciscus tantarum tempestatum discrimina procul conspiciebat, nihil intentatum, inausum nihil relinquebat, ut semet imperiumque cum dignitate tueretur. Sese pluries ad bellum comparavit: adeoque ingentes erant eorum bellorum apparatus, ut nunquam antea majores Germania viderit, neque utinam posthac visura sit: in quibus tamen nil aliud ipsi erat propositum, quam inaestimabile pacis communisque felicitatis beneficium. Dummodo belli atrocitatem a civium capite avertere potuisset, quamcumque ipse bellicam laudem laetus lubens rejecisset; ipsum victoriae cursum abrupisset, triumphalem etiam coronam sibi e capite quodammodo eripuisset. Belli fortuna quae semper in ancipiti loco est, soepe illi sinistre cessit: non tamen animum despondit, non minoris idcirco pacis fructus duxit. Persuasum enim illi erat, nunquam infirmi animi eum regem jure posse appellari, qui prudenter matureque tempori cedit, qui inducias cum ipsis hostibus vel infensissimis init, ut uberrima pacis munera suis civibus quamprimum restituat.

Quam plurimi Franciscus pacis pignus (quod utpote ingenuus inviolabile futurum existimabat) redemerit, Europa universa admirabunda conspexit, nunciaque illa vetustatis historia tardis etiam nepotibus testabitur. Nobilissimam Caroli Magni coronam, quae prima erat Augspurgensis Lotharingiaeque gentis et gloria et hereditas, nonne ipse, quamvis non sine gravissimo paterni animi moerore, donum eidem paci obtulit?

Verum quando id minus videbatur expectandum, ipse, qui et exercituum est Deus, totius pene Europae copias una conjungit, easque proinde ad pacem perdiu duraturam adducit. Intra ipsa Lipsiensia castra Franciscum mihi videor videre in genua provolutum, oculosque pientissimis lacrimis madentes ad coelum extollentem. Quum heic ipse verba satis digna nequeat concipere, lacrimis perjucundis uberrimisque ipsi Deo, a quo est quidquid est boni, dignas memori de pectore reddere gratias contendit. Quamquam et verba aliquot ibidem

ex illius ore prodeunt. Ecquaenam vero ea sunt? *Da pacem*, fervidus clamat, *da pacem*, *Domine*, *populo tuo da pacem*. Pacem non sibi ipse a propria virtute ac sapientia pollicebatur: pacem ab eo, qui unus germanae pacis est auctor, enixe Franciscus efflagitabat. Ferventiores Francisci preces coelestium spirituum veluti manu ad coelum efferuntur, Deoque ipsi exhibentur. Et re quidem vera jam sacris in postibus, deque templorum fornice votivae galeae, et enses, et spicula, et aliae quotquot sunt bellorum exuviae jam nunc pendent. Pax ipsa oleae ramum dextra gerens justitiam quasi sororem perquam arctissime complectitur, sertum communi studio intexunt illudque Francisci capiti jucundissime circumdant. Gentes quae et coelo et moribus legibusque non posse unquam invicem conjungi videbantur, jam nunc suavissimo mutuae fidei vinculo inter sese constringuntur; et quae Nevae et Histri, Sequanae et Eridani, Thamesis et Iberi aquas bibunt eodem veluti parente natas se praedicant, alternoque convictu eamdem ineunt vivendi consuetudinem. Aurora praeit diei faustissimae, diuturnamque tranquillitatem praemonstrat. Vindobona, civitas augusta, Deum pacis auctorem, Franciscum pacis sequestrem salutat perjucunde, atque ex animo veneratur.

Quamobrem ut pacem, veluti perennem omnimodae faustitatis fontem, sancte Franciscus tueatur, incredibile dictu est, quot studia atque consilia inierit; quantam operam diligentiamque contulerit; quot quamque opportune foedera et posuerit et junxerit; quoties graves itinerum difficultates susceperit; quoties in totius Europae regum conventu pacis fere mancipem sapientissimumque patronum se praestiterit. Veluti nubes gravidae fulminibus, quae aeris serenitatem heic illic identidem interturbant, tum levis aliqua status conversio, tum communium temporum inclinatio intra hujus Italiae fines beatissimum pacis otium miscent commoventque. Pacis restitutor accitus Franciscus, et ad Sebethum et ad Duriam suas acies adducit: procellae continuo recedere jubentur, nubilaque

omnia e vestigio disjiciuntur. Per Te scilicet, Beatissime Pater, ditioni huic Tuae tranquillitas est restituta; totaque res publica magis magisque per Te in dies efflorescit. Attamen Franciscus a Te arcessitus tot tantaque ad arduum adeo opus adjumenta Tibi suppeditavit, ut aliqua ex parte hanc cum ipso laudem communicare minime dubites.

Nos miseri! qui dum vel cruentam omnem civilium discordiarum speciem a nobis procul fugasset; dum formidabili bellorum apparatu omnem externi belli metum a nobis procul exclusisset; dum ad faustiora animos per ipsum erigebamus; nos, inquam, miseri, qui sumus iterum in merorem et in luctum prolapsi! Extremum fere regiae ipsius voluntatis decretum id fuerat, ut pleraque civium millia, quos ad pacem tutandam coactus prius fuerat vocare ad arma, pace iterum ex integro confirmata, tum ad agrorum cultum tum ad pacis artes tractandas remitterentur. Ecquis tam repens infortunium praenosset unquam? Paucis post diebus Franciscum imperatorem nedum imperii sui, sed et totius pene dixerim Europae parentem invida atque immanissima morbi vis nobis eripuit. Haec ne igitur est nostrarum jucunditatum stabilitas atque constantia? Quamdiu igitur mortales erimus, nonnisi hanc laborum voluptatumque vicissitudinem subire cogemur?

At unde singultus, unde gemitus qui denuo auribus mihi et animo obstrepunt? Gentes multitudine innumerabiles, provinciarum amplitudine infinitae, Austriaci imperii majestate splendidissimae parentem, quem immature adeo amiserunt, insolabiliter conqueruntur. Ferdinandus imperator, filius Francisco parente dignissimus, tantam doloris acerbitatem virtute ac sapientia quibus eminet, facile (quod juvat sperare) sedabit; nec tam praeclarum rei totius publicae ordinem, nec tam pacatam imperii totiusque Europae tranquillitatem perturbari permittet. Fieri nunquam poterit, ut Ferdinandus ex animo extremae illius noctis imaginem abjiciat, in qua Franciscus pater amantissimus jam jam moriturus et ipsum et Franci-

scum, filium natum minorem, et ceteros regiae gentis principes ad se arcessivit, ut ultima ipsis daret verba, ultimaque praeberet consilia. Vidit tunc Ferdinandus, quinam sit ipsorum etiam regum exitus, alteque in animo haec verba insculpsit: *Per quidquid cari, per quidquid vobis est sancti, rogo vos obtestorque, gnati et fratres suavissimi, tum fervens in Deum pietas, tum mutua vos ipsos inter concordia, vestrum sint et prima cura, et maxima virtus.* Ab Ferdinandi pietate et ab Austriacae gentis concordia certam incolumitatem non modo imperium ipsum, sed et Europa universa sibi polliceatur.

Franciscus igitur, primum qui erat et gentis et imperii et aetatis suae praesidium et ornamentum, totus perierit; nec quidquam supererit, quod ipsum posteritati commendet? Vivit ipse tum in nostris tum in suorum animis nunquam moriturus. Quandoquidem vero illius cineres cum Matthiae omnium principis, cum Ferdinandorum ac Maximilianorum, cum Mariae Theresiae cineribus eamdem sepulcri obscuritatem subierunt; illius et memoriae et honori hoc qualecumque nobis etiam liceat monumentum ponere. Matrona, amictu regio ac regia palla insignis, humi non sine gravi dignitate procumbens Austriaci imperii majestatem referat et largo fletu regis reliquias rigare videatur. Illi adstet biceps aquila, quae nobilissimum est Austriacae gentis signum, easdemque reliquias et ipsa quodammodo tueatur. Religionis sanctissima imago assurgat, quae venerabile Dei nomen in pectore gerens sculptum, sinistra efferat dulce humanae salutis pignus, dextra vero eam gloriam beatitatemque indigitet, ad quam Franciscus, qui medium principemque heic teneat locum, fuit nuper intromissus. Pax et justitia, quarum insignia tristes genii hinc inde praeferunt, immortalem quam diximus lauream Francisci capiti circumdent. Lapis inferius has exhibeat notas: *Justitia et pax osculatae sunt.*